

sequeretur, Cæsareanorum ducibus constabat. Is humanarum calamitatum impatiens, cum Hispanis novas accessisse vires, fœderatorum copias Roma procul profectas animadverteret, licet a Cæsaris ducibus indigna, atque intoleranda peterentur, & crebro a fœderatis urgeretur, ne festinato consilio feliciores evenus interturbaret, nihil se recusaturum præferebat. Itaque cum Prorege, qui Romam venerat, in has conditiones pepigit: nempe, ut *quadrilingenta aureorum millia Cæsareanis militibus persolveret*: *Hadriani, Hostiæ, Centumcellarum, & Tiperni arces Cæsari dederet*: ad hæc Pàrmæ, & Placentiæ urbes relinquerebat. His peractis, nondum libertate potiretur, sed Cajetam produceretur, ibi Cæsaris sententiam de concordiæ pactionibus præstolatus, quid de illo, & Cardinalibus, atque aliis, qui arce detinebantur decerneret. Statimque Bartholomæus Gatina-  
ra, & Ludovicus Lodronius a Prorege delecti, qui cum Juliano Zeno, cui id munus a Pontifice mandatum fuerat, prius commeatus fide a Florentinis impetrata, in Galliam Cisalpi-  
nam proficiscerentur, ut Parmam, ac Placentiam Cæsareano-  
rum potestati permitterent. Hoc Clementis consilium licet prius  
mente prævideretur, haud parum fœderatorum, & Veneto-  
rum præsertim animis molestiæ injecit, quod Cæsaris vires au-  
geri, atque de eo conceptam opinionem incrementa sumere  
cognoscerent, cuius animus abditus, & multis recessuum am-  
bagibus obtectus ægre perspici poterat; cum nonnunquam ad  
pacem propensus non modo, verum etiam accensus videretur,  
ali quando iniquas adeo illius ineundæ rationes objiciebat, ut  
aversus omnino a concordiæ studio videretur, atque homi-  
nes non vulgaris prudentiæ existimarent, eo illius consilia  
spectare, ut moras necundo Gallorum ardorem restingueret,  
atque fœderatos belli tædio conficeret. Verum Senatus,  
immutato Clementis animo, nihil de vetere instituto immu-  
tavit, sed eo acrius insistendum putavit, quo Pontificis res  
vehementiori procellarum turbine quassari animadverterat;  
cum præcipue vel necessitate adactum, vel timore perterritum,  
ac de incolumitate sollicitum sua, iniquiores pacis conditiones  
amplexum fuisse intelligeret; id fortassis eventurum rati, ut  
& illum facti tæderet, & felicior fortuna aliquando votis a-  
spiraret, Senatus itaque consulitur, ut ne quid, illo adhuc ca-

Clementis  
cum Hispa-  
nis conjun-  
ctio.

Clemens  
Juliano  
Zeno man-  
dat ut Par-  
mam, &  
Placentiæ  
Cæsareanis  
permittat.

Veneti, ne  
Pàrmæ &  
Placentiæ  
in Cæsarea-  
norum potes-  
tatem con-  
cederent, ni-  
tuntur.